



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**MDCLXXXVII**

Q. 290. De inualiditate matrimonij post sacros ordines susceptos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

## QVAESTIO CCXC.

De inualiditate matrimonij post sacros ordines susceptos.

1. **C**ertum est primo hoc tempore in Ecclesia Latina matrimonium contractum post sacros ordines susceptos non solum esse illicitum, sed inualidum. Probat ex cap. quod votum de voto, & voti redemptione in 6. Secundo suppono hanc inualiditatem neque oriri ex voto utcumque, neque ex voti solemnitate, sed ex constitutione ecclesiae, quae eos, qui emiserunt votum solemne castitatis, reddidit inhabiles ad matrimonia contrahenda. Tertio Paludanus in 4. distinct. 37. quæst. 1. artic. 1. concl. 4. & Syluester in summa verbo matrimonium qu. 12. censent matrimonium post sacros ordines contractum etiam apud Græcos esse irritum. Quæritur, quo tempore, & qua lege matrimonium post sacros ordines contractum cæperit esse inualidum?

2. Prima sententia Syluestri loco citato docet matrimonium post sacros ordines tempore Apostolorum fuisse inualidum, adeoque esse inualidum lege Apostolorum, idque probat ex pluribus canonibus, quæ ut docet Vasquez, non euincunt intentum.

3. Secunda sententia Vasquez docet matrimonia post sacros ordines contracta, licet lege Apostolorum fuerint vetita, tamen non fuisse inualida, sed solum facta fuisse inualida à Calisto secundo, vel ab Urbano secundo, qui fuerunt circa tempora Lotharij Imperatoris paulò ante Gratianum. Probat: nam licet ante Calistum secundum multæ inueniantur leges prohibentes matrimonia contrahi post sacros ordines, tamen nulla inuenitur lex reddens illa irrita, & inualida; ergo &c. Confirmatur: nam si matrimonia fuissent inualida, leges prohibentes talia matrimonia post sacros ordines, præciperent, ut qui sic contraxerunt, separarentur; sed leges antiquiores Calisto secundo hoc non præcipiunt; ergo &c.

4. Primò igitur can. Presbyteris 27. distinct. qui canon fuit Calisti secundi, vel potius Urbani secundi in Concilio Romano, interdicitur Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis matrimonia contrahere, & præcipitur contracta dissingi; ergo tunc prima sacris ordinibus initiati, ac Monachi castitatem professi constituti sunt inhabiles ad matrimonia contrahenda. Confirmatur: nam sicut leges ante illum canonem Calisti, vel Urbani secundi licet matrimonia sacris hominibus prohibeant, tamen non declarant illa esse irrita, nec præcipiunt dissolui; sic leges late post Calistum declarant illa esse irrita, & præcipiunt dissolui; ergo primò per illud decretum Calisti, vel Urbani reddita sunt irrita. Ita Innocentius secundus, ut refertur

can. ut lex 27. quæst. 1. dicit: *Huiusmodi nam que copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus*, cap. etiam quod votum de voto, & voti redemptione in 6. & cap. Diaconi, licet non irritetur matrimonium, supponitur nullum esse.

5. Quæritur, quando nam continentia præcepta fuerit Diaconis? Certum videtur ab initio ecclesiae Subdiaconis non fuisse præceptam continentiam. Innocentius enim tertius in cap. à multis de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum, expressè dicit iuxta sententiam Urbani secundi can. *Nullus ad episcopatum 60. distinct.* Subdiaconatum in primitiua ecclesia non fuisse ordinem sacrum; sed ordo sacer ex doctrina eiusdem Innocentij distinguitur à non sacris per obligationem seruandi continentiam, quæ obligatio annexa est solis ordinibus sacris; ergo &c.

6. Quæritur ergo quo tempore in ecclesia Latina lata fuerit lex, ut etiam Subdiaconi seruarent continentiam, adeoque Subdiaconatus constitutus fuerit ordo sacer?

Dicendum, quod primò hæc lex inuenitur in Concilio Illiberitano, quod in Hispania celebratum fuit circa tempora Concilij Nicæni. Can. enim 33. eius Concilij Subdiaconis, sicut diaconis, & presbyteris continentia præcipitur. Secundo inuenitur eadem lex in sexto Concilio Aphricano, cui interfuit S. Augustinus can. 28. Tertio. S. Leo epistola 88. ad Anastasium Thessalonicensem refert hanc legem pro subdiaconis, non ut tunc latam, sed ut antiquiorem. Quarto S. Gregorius lib. 1. epistola 42. & refertur can. ante triennium distinct. 31. eandem legem supponit, ut ante latam, & seruata, & præcipit, ut in Sicilia, ubi cæperat non seruari, ad antiquum usum reuocaretur.

7. Contra legem præcipientem continentiam presbyteris, diaconis, & subdiaconis plura opponunt hæretici. Opponunt primò: quæ sunt de iure naturali, & diuino non possunt lege humana prohiberi; sed est de iure naturali, & diuino, ut vnusquisque possit matrimonium contrahere; ergo &c.

Respondeo, distinguo maiorem: quæ sunt de iure naturali, & diuino præcipientem, concedo; permittente, nego; distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Quæ sunt de iure naturali, & diuino præcipientem, ut illa fiant, non possunt per leges humanas prohiberi: at quæ sunt de iure naturali, & diuino permittente possunt per leges humanas prohiberi, immo de facto leges humanae prohibent ea, quæ permittuntur iure naturali, & diuino; ex. gr. licet iure natura, & diuino permittatur comedere carnes qualibet die, leges humanae prohibent comedere carnes in Quadragesima; ergo licet de iure natura permittente sit, ut quilibet possit matrimonia contrahere, tamen ecclesia potuit præcipere ijs, qui sacris ordinibus ini-

initiantur, vt continentiam feruent, præferunt cum non præcipiat continentiam absolute, sed solum præcipiat, vt ad sacros ordines non admittantur, nisi voueant castitatem.

8. Opponunt secundò: Paulus 1. ad Timotheum 3. & ad Titum 1. inter alia, quæ requirit ad hoc, vt quis eligatur in episcopum, presbyterum, & diaconum exigit, vt sit vnus vxoris vir, dicit enim: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, vnus vxoris virum &c. si quis sine crimine est vnus vxoris vir, ergo &c.*

Respondeo ex communi Patrum expositione, quod Paulus non requirit tanquam conditionem ad hoc, vt quis admittatur ad sacros ordines, vt habeat, vel habuerit vxorem, cum procul dubio non excludat virgines, sed solum requirit, vt non habuerit plures vxores, ac non sit bigamus. Bigami enim sunt irregulares, ac non debent ad sacros ordines admitti.

9. Opponunt tertio: Apostoli habuerunt vxores, ergo &c.

Respondeo primò, quod vt docet S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, de nullo Apostolo narratur, quod habuerit vxorem, excepto Petro. Secundo dico de Ioanne certum ex Patribus esse, quod vxorem non habuit, sed virgo permansit. Tertio dico, quod Petrus, & si quis alius Apostolus habuit vxorem, vocatus ad Apostolatam, vxorem reliquit. Probat id S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum 3. Cum enim Petrus dixisset, *Eccc nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Christus respondens, & explicans ea, quæ relinquenda erant à frequentibus ipsum, enumerat etiam vxores, dicens: *Et omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut vxorem &c.* ergo dubitari non potest, quin Apostoli, qui perfectè secuti sunt Christum, reliquerint etiam vxores, ergo licet exemplo Apostolorum possit probari, quod etiam coniugati assumi possunt ad ordines sacros, non potest probari, quod post ordines possint vxoribus vtis, immo probatur oppositum, nimirum quod recipiendo ordines sacros, debent relinquere vxores, sicut reliquerunt Apostoli, ac post ordines non debent ducere vxores, eo pacto, quo Apostoli, cum vxores reliquerint, profectò post Apostolatam, non amplius duxerunt vxores.

## QVAESTIO CCXCI.

### De Tonsura Clericali.

1. **M**OS tonsuræ clericalis, & monachalis est antiquissimus. Tonsuræ enim monachalis mentionem faciunt S. Dionysius cap. 6. de ecclesiastica Hierarchia. S. Epiphanius aduersus hæres. hæres. 30. S. Basilius in regula monachorum, S. Augustinus lib. de opere monachorum, cap. 31. & 32. & alij. Tonsuræ clericalis mentionem faciunt Ani-

cetus Papa epist. 1. cap. 4. S. Hieronymus epistola, quæ est apud Augustinum 26. & S. Augustinus, epistola 147. ad Proculeium Episcopum &c. ex his constat contra hæreticos vsu tonsuræ in ecclesia esse antiquiorem Augustino, immo ab ipsis Apostolis dimanasse. Porrò vt docet Isidorus lib. 2. de officiis ecclesiasticis cap. 4. alijque communiter, tonsura fuit introducta, vt per illam significaremus, quod criminibus nostræ carnis, quasi criminibus exuimur. Rursus duæ afferuntur causæ, propter quas tonsura clericalis fit per modum coronæ. Prima est ad significandam dignitatem sacerdotij nouæ legis, quod à S. Petro prima epist. cap. 2. vocatur regale. Secunda est ad significandam coronam spinea, quam Christus gestauit.

2. Quæritur, vtrum clerici præcepto aliquo teneantur ad gestandam tonsuram ad modum coronæ?

Duæ sunt sententiæ. Prima Panormitani in cap. *Si quis* de vita, & honestate clericorum docet dari præceptum obligans sub mortali omnes clericos ad gestandam tonsuram per modum coronæ, siue sint constituti in maioribus, siue in minoribus, etiam sine beneficio. Sed hæc sententia vt nimis seuera rejicitur à Syluestro, aliisque communiter.

3. Secunda sententia Soti in 4. distinct. 24. quæst. 2. artic. 1. Nauarri in summa quæst. 25. & aliorum, docet solos clericos constitutos in sacris, & clericos habentes beneficium teneri sub præcepto ad gestandam tonsuram: clericos constitutos in minoribus, ac beneficium non habentes, non teneri; & hæc sententia est vera. Quod clerici minores habentes beneficium teneantur gestare tonsuram, probatur, nam ita decretum est cap. *Ioannes* de clericis coniugatis, & hoc præceptum renouatum est à Pio V. Motu proprio suo per reformationem Cleri. Quod clerici sacris ordinibus initiati teneantur, patet: nam Pius V. in Motu proprio iam relato etiam hoc decernit, & confirmatur iure communi cap. *Si quis*, de vita, & honestate clericorum, vbi anathemate damnatur clericus, qui comam laxauerat, atque hoc ipsum erat præceptum in pluribus antiquis Concilijs. Quod clerici in minoribus constituti, ac beneficium non habentes, non teneantur probatur, quia sic statuitur cap. *Ioannes de clericis coniugatis*.

4. Dubitatur, vtrum hoc præceptum obliget sub mortali?

Respondeo affirmatiuè: siquidem cap. *Si quis*, de vita, & honestate clericorum, est impositum sub anathemate: potest tamen aliquis excusari à mortali propter leuitatem materiae, puta si breui tempore tonsuram non gesserit &c. vt docet Vasquez hic cap. 3.

5. Opponunt hæretici plura loca Scripturæ, in quibus prohibetur sacerdotibus tonsura. Leuitici enim 21. de sacerdotibus dicitur: *Non radent caput, neque barbam &c.* idemque dicitur alijs locis.

Ref-